7

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
DENTITIONE DIFFICILI

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE III. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES EHRENFRIED LIEBICH
HIRSCHBERGA - SILESIUS

H. L. Q. S.

BEROLINI.
FORMIS THEOPHILI BRÜSCHCKE.

VITRICO

CARISSIMO AC LONGE DILECTISSIMO

HENRICO BLAUERT

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Praefactio.

Non omnium est omnia nosse, nec ea quae noverint, iis adornare atque expromere verbis, quae cunctis satisfaciunt. Quamobrem lectores benevoli, enixe a vobis peto, ut opusculo huic, quod vestras in manus jam trado, nisi applausum detis, indulgentiam tamen concedatis. Haud mediocris est difficultatis, in argumento elaborare, quod ab omni parte jam pertractatum et virorum celeberrimorum opera et studio dilucidatum deprehendimus. Propterea si lecturi me neque vana nec perversa protulisse confiteantur, sat laudis acquisivisse mihi videbor.

Post partum, quo quidem mutationes organicae graves eveniunt, vita characterem alium subit, jamque in eo est, ut sua conditione utatur.

In foetu vita nonnisi vegetativa est, reproductio praevalet, quae sola fere ex omnibus corporis actionibus efficacem se praebet.

Opinio in vulgus propagata dentitionem infantum phaenomenis variis insuetis esse stipatam, quinimo affectiones morbosas non potentias externas, sed processum evolutionis pro causa sua agnoscere rationibus utique physiologicis haud exiguis nititur. Haecce autem opinio id falsi habet, quod dentitionem pro morbo habent, quo infans unusquisque perfungatur necesse sit, quodque febrem convulsiones, dejectiones et tussin symptomata ejus necessaria esse sibi persuadent. Gravem quoque in errorem incidunt, qui phaenomena morbosa quibus dentitio stipatur modo ad processum localem in maxilla pertinere; et ab intumescentia, tensione, irritatione, inflammatione et perforatione gingivarum dependere existimant.

Brevis sententiarum de dentitione expositio.

Hippocrates in fragmento de dentitione prognosin tantummodo adumbravit, nusquam vero in explicandis phaenomenis morbosis elaboravit.

Suietenius *) alveolorum exitus affert tegi membrana satis firma et coriacea, quae a dente erupturo vi satis magna pertundi debeat. Imprimis

---

*) Comment: in Boerhav. Aphorism. T, IV. ad §. 1374.

vero periosteum accusatur, quod supertenseum alveolo, valde irritabile ac sensibile esse dicebant. Sed fuerunt, qui dentitionis difficilis causam potissimam in lamella ossea quaererent, quam putarent, claudere alveolos, quamque haud sine magna vi et veluti molitione perfringi posse censerent. Simili modo etiam a paucis tamen scriptoribus, causa ad capsulam relata est. In universum autem hic moneri convenit, medicos hosce in eo praesertim erravisse, quod hanc actionem vitalem ex legibus mechanicis, quae tamen in organismo animato vix ullibi observantur, explicare studuerint, etenim ex vera physiologia patet, tensionem, irritationem punctionem rel: in actu dentitionis plane nullas esse, idem etiam ex parte accuratior anatomica harum partium disquisitio declarat, quippe qua nullam adesse lamellam osseam alveolum obtegentem, neque ullum periosteum praetensum, edocemur.*)

Sydenhamus **) Boerhaavius ***) et Fridericus Hoffmannus †), symptomata quaeque mor-

*) Nähere Prüfung der Aetiolog. der Zahnarbeit der Kinder, gegen Wichmann. 1 T. 1799. lit: m.

**) Opp. medic. Genev. 1726 4te. Cap. V. de morbillis pag. 122.

***) Van Suieten Commentar in Boerhaav. aphoris. tom. IV. §. 1374.

†) Med. rational. systemat. tom. III. pag. 102

bosa ab evolutione solum locali alveolorum, praecipue vomitum, alvi dejectionem, convulsiones febrem etc: ab irritatione consensuali, quae inflammationem, tensionem etc: gingivarum efficiat, repetunt. Quae opinio ad novissima usque tempora a medicis plurimis est defensa, donec Wichmann *) et Sternbergius **) dentitionem esse processum evolutionis normalem ponerent, qui plerisque in casibus, sine ullis phaenomenis gravioribus decurreret et valetudinem ne minimum quidem offenderet.

Huic sententiae medici permulti se opposuerunt, prae ceteris:

Sponizerus ***) Wedekindius †) Sachsius ††) Schweicardius †††) et Hufelandius ††††) qui exemplis dentitionis difficilis prolatis, neutiquam vero in totum hac difficultate asserta, vel omnibus phaenomenis morbosis ex dentitione derivatis non prorsus eam despiciendam esse, judicaverunt.

---

*) Ideen zur Diagnostik. Bd. II Abtheil. I.

**) Zweifel und Erinnerungen gegen das schwere Zahnen.

***) Hufeland's Journal VII S. II. §. 59.

†) Ebendaselbst IX. S. 1.

††) Journal der Erfind: Theorien und Widersp. St. 31.

†††) Ebendaselbst.

††††) Kinderkrankheiten von Hufeland.

Sponitzerus et Wedekindius processum localem in alveolis, irritationes dolorificas, tensionem et inflammationem gingivarum, affectionem tubi intestinalis ex parte a deglutitione salivae frequenter excretea deduxerunt, nec tamen inficias eunt causas morbificas alias, v. e. stimulos abdominales, acrimonias rel, ad dentitionem morbosam conferre posse.

Harris *) duas ponit dentitionis periodos, alteram, qua dens alveolum osseum, alteram, qua gingivas perforet. Anatomi exploratione circumspecte instituta hanc perforationem alveolorum mechanicam diffitentur, nec tamen constat, aliquot hebdomadas ante dentitionem veram in alveolis mutationem insignem apparere.

Codoganus **) ex spasmo cutis, ab irritatione dentis erupturi oriundo, phaenomena dentitionis difficilis deducenda existimat, sicque ea sufficienter posse explicari sibi persuadet.

Girtanner ***) a sympathia musculorum, quae ab irritatione gingivae nascitur, illos ipsos dentitionis periculosos effectus repetendos esse contendit. Qua in explicatione celeberrimus vir verbis

---

*) De morbis infantum. p. 36.

**) On nussing. p. 31.

***) Kinderkrankh. von Girtanner.

usus est, adeo inter se contrariis, ut eā sola sufficiant refellendae ejus opinioni. Nam gingivam fere omni sensibilitate carere, contra irritabilitate insigni instructam esse dicit; atqui inde argumentatur, propter hanc gingivae deficientem sensibilitatem infantes exiguum aut nullum dolorem sentire, sed vehementem irritationem, quam dens erupturus movet in gingiva, agere in musculos. — Ergo irritatio localis non localem effectum movet, sed potius in aliena et remotissima systemata vim suam exserit. — Ceterum modo gingivam, modo lamellam osseam supra dictam accusat, unde satis clare elucescit, Girtannerum ipsam nescire, cuinam parti proprie sit imputanda haec irritatio undeque originem capiat.

Quum auctior salivae excretio tempore dentitionis frequentissime observata sit, recentiores scriptores in hac omnem periculi causam quaesiverunt. Et Heckerus *) quidem, quum auctiorem humoris cujusdam excreti copiam vidisset, ejusque indolem in deterius mutatam esse observasset, in ejus modi salivae degeneratione maligna, quà eà quandoque sic a normali statu recedit, ut vim venenosam induat, sicuti in rabie canina animadvertitur, causam periculi quaerendam esse,

*) Magazin für patholögisch. Anatomie. Altona. 1796. S. 98 - 116.

censuit. Quamvis autem nequeat negari, salivae indolem, ceteris paribus viribus scilicet chemicis organismi turbatis, in excretione morbose aucta depravari posse; humorem tamen hunc in illo, de quo agimus, statu ita immutari, ut talim vim veneno am nanciscatur, qua similis fiat illius qui in rabie canina generatur, haud quaquam statuendum est. Hoc enim venenum est miasma sui generis, quod in quibusdam animalibus tantum gignitur, et modo per translationem in corpore humamo observatur. Ceterum intelligi plane nequit, cur haec venenosa salivae degeneratio tantum in illud tempus dentitionis cadere deberet, quum conditiones corporis et potentiae nocivae, quas Heckerus accusat, omni tempore eaedem sint, immo etiam nonnunquam ad generandum virus magis aptae atque accommodatae deprehendantur.

Aliam rursus, eamque ab ea, quam modo laudatus auctor tulit, longe diversam sententiam super hac re nobiscum Brandisius *) communicavit. Is quidem irritatione dentis nimia, cujus et glandulae salivales participent, excretionem salivae supprimi, et hanc actionem excretoriam in aliud quoddam nobilius idque ad vitam necessarium organon ad majorem organismi noxam, transferri

*) Ueber die Metastasen §. 39.

dicit. Sed dum hic cel. vir Cadoganum reprehendit, qui a dentis irritatione spasmum cutis cieri, inde transpiratione suppressa, humores fieri acriores et omnia illa periculosiora symptomata oriri statuit, ipse in similem incidit errorem, quum ex salivae suppressione, cui dentis irritatio occasionem dederit, illa phaenomena periculosa deducenda esse censeret. Ceterum notandum est, hanc ipsam salivalis excretionis suppressionem in dentitione perraro accidere, et, si quando ea observatur, inde potius ad pejores, quae praeiverunt, vis vitalis perturbationes concludendum esse, quam ut assumi possit, morbum ipsum in ea contineri.

Propius sane in exponenda dentitionis physiologia ad veritatem accedit Schaeferus *), qui tamen de pathologicis phaenomenis hujus processus minus apte retulisse mihi videtur. Negat enim hic auctor, per irritationem perforari gingivam, sed aperturam jam a natura praeformatam atque plicis reconditam esse credit, quae tandem grandescente dente, in modum gemmarum floriferarum, evolvantur. Ceterum has plicas, si concreverint, efficere censet, ut gingiva denti egressuro resistat et sic dentitionem reddat difficilem.

---

*) Vid. Armstrong über die gewöhnlichen Kinderkr. und deren Behandl. übers. von Schaefer Regensb. 1786. §. 55. 2te Ausg. §. 92.

Jourdainus*) impedimentum dentitionis se invenisse arbitratur in alveolorum parietibus constrictioribus, qui denti egressuro veluti obicem opponant. Quapropter auctor est, ut hi parietes effringendo ope scalpri laxentur.

Similem fere sententiam statuebat Bertinus **) qui dentem a gingiva tensa et retinente repressum arbitratus est nervum comprimere. Sed quum omnis idea tensionis violentae nulla sit, facile hujus opinionis error pernoscitur. Praeterea coarctatio parietum, in quibus dens eo tempore jam firmiter continetur, prohibet utique denti regressum; nam alias infantes frequentiorem ac graviorem dolorem experirentur, si mordere ac mandibulam maxillae superiori agglutinare gestirent. Deinde quum radix eo ipso tempore nondum ossificata sit, nervus sane per mediam pulpam ad dentem tendit, qua igitur undique molliter circumdatus a vi ejus modi defenditur. Denique quod nervum maxillarem attinet, is in proprio suo osseo canali decurrens a quaque laesione tutus est.

Antiquioris temporis medici vix non omnes in hac versabantur opinione, ut dentem vi mechanica violenta suum tectum venlti disrumpere cre-

---

*) Abhandlung über die chirurg. Krankh. des Mundes. 2ter Th. 1784. §. 6. 44.

**) Vollständige Abhandl. d. Osteologie, übers. von Pflug. 2ter Bd. 1777. §. 159.

derent. At enim quum ejusmodi vim haud quaquam locum invenire accuratiori animalis corporis oeconomiae cognitione constiterit, ea etiam in explicando modo, quo dentium tegumenta aperiuntur, non potest in auxilium vocari. Hunterus*) primus ab hac diruptionis idea recedens, aliam de ratione, qua natura uteretur in aperienda gingiva sententiam retulit, eaque deinceps ut fundamento theoriae suae de dentitione difficili usus est; dentem nimirum irritare gingivam, indeque oriri inflammationem judicat, per quam gingiva extenuetur ac paulatim dissipetur. Quum vero omnis irritationis idea arbitraria sit, et falsis praemissis innitatur, quibus dentem, ut alienum corpis irritare organismum assumitur; porro, quum natura ad normales functiones perpetrandas praeternaturalibus aut morbosis actionibus, inter quas tamen inflammatio referenda est, uti nequeat, et praeterea inflammatio longe alia phaenomena praebeat quae experientia teste, vel resolvatur, vel si irritamentorum actio persistat, in suppurationem aut indurationem exeat, neque extenuet aut insensibili modo destruat partes; hanc quoque sententiam Hunteri falsam esse patet. Accedit adhoc, quod ejus

*) t. Hunter's natürliche Geschichte der Zähne und Beschreibung ihrer Krankh. Leipz. 1780.

modi partialis gingivae infantilis inflammatio, quae ceteris inflammationibus gingivae adultorum hominum gravior et periculosior non est, reliquis phaenomenis dentitionis difficilis morbosis explicandis plane non sufficit.

Mihi quidem Henkius de dentione optime exposuisse videtur, quippe qui affectionem localem non extoto diffitetur et processus dentitionis non mediocrem esse vim in aniversum organismum statuit, ut pote qui phaenomena morbosa varia excitare valeat. — Effatis variorum auctorum de dentitione breviter commemoratis, quaestio solvatur necesse est, an dentitio symptomata morbosa inducere possit, nec ne? — Dentitio est actio plane naturalis, eaque ad organismum absolutiorem reddendum necessaria, quae in plurimis sine ullis symptomatibus morbosis decurrit.

Disquisitiones physiologorum et anatomorum*) docuerunt, conformationem dentium primorum jam in foetu aliquot menses ante partum incipere. Ex humore gelatinoso in saccis propriis membranaceis ab alveolis circumdatis dens crystallisationis ope confirmari incipit. Physiologi recentiores**)

*) Hunter's natürliche Geschichte der Zähne.
Soemmering vom Bau des menschl. Körpers. 1 B. S. 209.
Rudolphi's Beyträge zur Geschichte der Zähne.

**) Walther's Physiologie 1 B. §. 174.

saccos hosce membranaceos ab immediata continuatione membranae pituitariae oris, quae in foetu ad canalem osseum alveolarum descendat, oriri asserunt.

Dente per spatium mensium octo vel novem formato, utplurimum circa hebdomadam vicesimam sextam vel tricesimam post partum eruptio fit. Non raro praeter normam evenit, ut dentes jam mense tertio, quarto, quinimo maturius erumpant, neque exempla desunt, infantum cum uno vel duobus dentibus natorum.

Ordo, quo dentes lactei sic dicti prorumpere solent, hic est. Primum mense sexto vel septimo dentes incisores medii, et quidem inferiores post quatuor vel sex hebdomadas abinde superiores et brevi intervallo inferiores, incisores exteriores apparent. Spatio nunc breviori nunc longiori interposito par primum dentium molarium prorumpit, quos sub initio anni secundi dentes canini, primum inferiores et aliquamdiu post superiores, sequuntur. Novissime par secundum dentium molarium, qui exeunti anno secundo plerumque prodierunt, apparet. Hicce dentitio prima est finita, nec prius nisi anno septimo vel octavo altera fit dentitio, sub qua lactei dentes excidunt, aliique permansuri prorumpunt.

Non est quod dubitemus quin dentitio in morbum converti et proxime quidem localia phaenomena

morbosa, v. c. tumescentiam, tendorem, dolorem, inflammationem vel gingivarum partiumque finitimarum cieri possit. Huic dentitioni sensu strictiori aliquid morbosi subesse, vel adversarii supra commemorati non diffitentur. Huc praecipue exempla spectant, quibus dentes ordine alieno, vel nimii simul duplices aut obliqui prorumpunt.

Quantum sit affectionis localis ad pathogeniam momentum facile ex iis colligitur exemplis quibus eruptio difficilis vel minus vel plurium dentium simul prodeuntium spasmos, convulsiones et insultus epilepticos movit, qui dentitione peracta protinus quieverunt.

Nec solum infantibus haec accedunt, verum etiam adultos eruptione dentium sapientiae affectionibus epilepticis periclitari nonnulli observarunt.

Omissis medicorum antiquiorum observationibus quarum haud mediocris est numerus, acquiescamus exemplo, ab Idelero *) nobiscum communicato, cui vim probandi, maximam inesse, facille quisque intelligit. Ruricolala trium et viginti annorum; ceterum sanus, sub eruptione dentium sapientiae primum doloribus localibus paullatim augescentibus circa gingivas vehementer inflammatas dein cephalalgia gravi cum vertigine, convulsionibus musmusculorum faciei, oculis defixis, et postremo in-

*) Hufeland's Journal X. B. 3. S. p. 207.

tra dies quatuordecim ter insultibus vere epilepticis conflictebatur, quarum affectionum dente egresso vel minima vestigia evanuerunt.

Phaenomena, quae dentitio nobis exhibet: primum localia sunt. Tres quatuor vel sex hebdomadas; antequam dens erumpit, superficies superior gingivarum latior, angulata, ardens rubra, in marginibus subpallida fit, non seccos acsi dens pelluceret. Infantes irrequieti sunt, praesertim noctu, calorem fugarem pallore alternantem sentiunt, digitum et quaecunque alia ori admovent, gingivas fricari facile patiuntur, papillas mammarum vel acrius mordent, vel impediti quominus sugant, protinus ex ore demittunt.

Haec symtomata infantes vel cum intermissionibus vel et sine his per plures hebdomadas tenent, quibus praeterlapsis dentitio ipsa fit. Sensim sensimque gingivae tumescunt, ardent, dolent, dolor non semper idem, interdum subito exasperatur, saliva ex ore effluit, quae saepenumero acerrima est. In casibus gravioribus tumor tensillarum, parotitis, ophthalmia, exanthema circa os etc. accedunt.

Si etiam Wichmannus gingivas sensus expertes esse existimat, cuius observationi experientia repugnat, quam saepissime infantes doloribus vehementissimis laborant: qui tactu lenissima augentur, unde gingivas sensu praeditas esse constat.

Et quis tandem est, qui diffiteatur eruptionem dentium dolores ciere, cum perinde non sit, dentem gingivas lente perforare, ac eas scalpello peracuto discindi, in illo enim stimulus continet in hoc cedit. Quin adeo saepenumero dentium substantia in statu integro omni sensibilitate destituta ita sensibilis redditur, ut dolores tacto levissimo excitentur.

Porro etiam phaenomena alia localia morbosa negari non possunt, nam inflammatio quaeque localis facile ad partes propinquas ab continuitatem membranarum vasorumque propagatur. Haec de irritatione partium in oris cavo sitarum dicta sunt, ratione praesertim habita genarum et glandularum salivalium, quae partes omnes glandulosae, praesertim infantibus facilius intumesscunt. Hominibus adultis inflammatio gingivarum etiam excretionem auctam salivae facilius efficit. Unamquamque inflammationem sufficientem partis vi vitali praeditae cum toto corpore per reactionem sensorii communicari gradumque hujus communicationis partim vehementia causae iraitantis, partim numero fibrarum nervearum irritatarum, partim robore vis vitalis totius corporis niti inter omnes constat.

Quidquid vehementiae causae irritanti detrahitur, spatio ejus ac continuitati additur, et si copia fibrarum irritatarum nervearum in maxilla mi-

nor est, energia tamen et actuositas vis vitalis seu incitationis corporum infantilium consideranda est, praeceteris si causis aliis simul agentibus adaugetur.

Partes quibus praecteris magna vis vitalis ac mobilitas in est, in primis etiam corripiuntur. Stimulus perquam exiguus cujus reliquae partes patientes sunt, ad spiramenta cutis, gravior ad venulas pertingit, maior vehementia ei accedat, necesse est ut cor vehementius agitetur. Ventriculus facilius quam intestina tenuia, haec prius quam crassa afficiuntur. Valentiori stimulo ad contrahendos musculus opus est. Cetero quin inter est, an vis vitalis hujus illiusve partis causis morbificis aucta an diminuta sit. Infantibus teneris facili negotio convulsiones moventur, quae in adultis difficilius exitantur propterea quod musculis prae reliquis partibus mox firmitas accedit, et projusto modo vis vitalis seu irritabilitas detrahitur. Intestinis large impletis dum irritatio alius partis, corpus afficit, solito facilius alvi dejectio nascitur.

Dentitio vero non pro locali processu, sed pro evolutione universali est habenda.

In hoc universali evolutionis processu, cujus non minus est momentum quam illorum qui pubescentia et menstruatione incipiente eveniunt, aliorum etiam organorum mutationes quam nullum

cum dentitione commercium est, praesertim circa caput et cerebrum oriuntur.

Infantes ad hoc usque momentum vita tantum vegetabili viguerunt, reproductio, assimilatio rel: notae evidentissimae actuositatis ejus fuerant. Tempore dentitionis indoles animalis vitae infantibus, cujus quidem leve fuit incrementum, luculentius se prodit. Sensuum organa functionibus suis iam exactius praesunt, et vestigia manifesta animi attentionis et primae mentis actuusitatis conpiciuntur. Infans oculos in rebus certis defigit, voces et sonos aure discernit, laetitiam, metum et aversionem ostendit, nutricem, parentes et familiares internoscit, voces primas inarticulatas edere syllabusque primas pronunciare adiscit. Hocce augmentum progressivum functionum animi evolutionem interdum cerebri partiumqne ejus singularum instare praesignificat. Simul insignes et in capitis et in faciei forma mutationes apparent. Frons latius explicatur, protuberantià partis mediae ejus qua recens nati maxime conspicui sunt, explanatur, quia latera nunc excoluntur et in volumen crescunt.

Verum etiam alia organa in dentionis periodo evolutionis experiuntur. Natura ipsa dentitione indicare voluit, necesse esse, organismum infantilem de hinc alimentis valentioribus solidioribusque et actuositatem in ossificandis cartilaginibus magis intendentibus, nutriri. Ventriculus etiam et trac-

tus intestinorum ad altiorem actuositatis gradum adscendit, bilis quoque efficacia ad promovendam concoctionem et assimilationem nutrimentorum hetrogenorum et systema glandularum haud dubie magnas partes ad immutandis hisce functionibus sibi vindicat.

Huic actuositati majorem ad intensitatem adauctae evulutiones orgrnicae et metamorphoses organorum assimilationis respondeant necesse est, quae quidem per vitam sensibus non recipiuntur, sed variis ex affectionibus eas comitantibus certissime conjectantur.

Propterea si in organis tanta dignitate conspicuis, id quid unicuique patet, evolutiones organinicae eveniunt, vix mirum videri debet, harmoniam functionum hucusque observatam perturbari.

Inde haud amplius opus est, phaenomena illa insolita ad morbum saepe intenta pro affectibus gingivarum tensarum et irritatarum sympathice natis haberi, possunt enim plerisque in casibus rectius ex organorum evolutione deduci.

Medici plerumque statuere solent, irritabilitatem et receptivitatem pro protentiarum externarum vi intra evolutiones esse adauctas. Hoc de periodo dentitionis, de pubertatis ingressu rel. valet, donec finita evolutione, functionis vel resuscitatae vel auctae novum aequilibrium restituatur.

Permulta phaenomena localia comprehenduntur et explicantur, si conditiones physiologicae, quae in evolutionibus considerandae veniuut, rite perpendantur.

Quibus ad dentientes bene applicatis clucescit, unde congestiones frequentes ad caput, calor, genarum rubor et ardor, quae symptomata creberime observantur, originem ducant. Exinde quoque explicatur, cur in infantibus hac in periodo exanthemata capitis et faciei, ophthalmina, proclivitas ad affectiones cerebri, potissimum ad febres hydrocephalicas, et hydrocephalum internum, ad statum soporosum et symptomata nervosa tum idiopathica tum symptomatica, ad spasmos et convulsiones multo saepius quam post factam dentitionem exeunte anno secundo deprehenduntur.

Inde etiam origo affectionum gastricarum, singultus, vomitus, alvi dejectidnes, colica, flatulentia et excrementorum indoles alienata, in prima vita universim et in dentionis periodo speciatim obvia facile elucescit, quum tubus intestinalis inde a partu metamorphosin continuam, eamque illo tempore consummatam experiatur. Eodem modo exsublata systematum praecipuorum harmonia reliqui status morbosi universales, qui non raro dentitioni superveniunt, deducuntur.

Irritabilitate organorum singulorum praevalente ratio normalis irritabilitatis per totum orga-

nismum turbetur necesse est. His est metamorphosi, quae organon centrale systematis sensibilis, cerebrum nempe, immediate afficit, sensibilitas ex aequilibrio salutari dejicitur. Motus febriles, febris ipsa, status inflammatorii, spasmi, convulsiones, sopor, non minus effectus quam indicia affectionis systematis irritabilis et sensibilis sunt.

Actuositote vasorum abnormi, irritabilitate organorum intenta, affluxu humorum aucto, vique nervorum immutata pariter functio organorum secretioni praefectorum haud mediocriter alienatur.

Secretio copiosa salivae mutatae, causam stimulum localem ex dentitione profectum agnoscit. Verum etiam secretio renum, hepatis, pancreatis, glandularum intestinalium et vasorum exhalantium tubi intestinalis eandem mutationem experiantur necesse est. Causa salivationis copiosae, dejectionum aquosarum mucosarum et biliosarum, nec non urinae febre et spasmo alienatae hic quaerenda est.

Denique ex immutatione alienatione universali sensibilitatis irritabilitatisque, ex aetuositate abnormi organorum secretoriorum, ex affectione idiopatrica et consensuali tractus intestinalis et ex magna humorum per diarrhoeas, vomitum rel. iacture, facile patet, assimilationem solo dentitione morbosa laborare et reproductionem decrescere oportere.

Inde elucet, processum dentitionis non solum localem esse aut modo maxillis et partibus proximis adstringi, verum etiam ad gravissima organismi systemata extendi. Ex hac demum evolutione universali phaenomema morbosa, quae dentitionis morbificae nomine comprehendi solent, satis luculenter deduci possunt.

Cum hac explicandi ratione quam de origine symptomatum morbosorum variorum, plerumque ex dentium eruptione deducendorum, proposuimus, bene conciliari potest probabilitas, singulis in casibus processum localem, si irritatio vehemens est, et dolor et inflammatio gingivarum superveniunt, cephalalgiam sympathicam, spasmos, convulsiones rel. excitare posse, quod observatione ldeleri, supra adducta extra omnem dubitationes aleam ponitur.

Ob irritabilitatem vero et sensibilitatem dentitionis periodo auctam, unaquaeque injuria externa mutationem majorem et periculosiorem quam alio tempore efficere valet.

Proterea refrigerium, errores in diaeta commissi, medicamenta etc. infantem hac in periodo multo gravius affigunt, morbique qui cum dentitione accedunt, v. c. variolae, tussis convulsiva rel. facillime perniciosi et exitiales evadunt.

At vero sine ulla iniuria perspicua dentitio per se, facta videlicet totius corporis mutatione, graves in morbos infantes coniicere potest.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Ego Joannes Ehrenfriedus Libich, Hirschbergae Silesiae civitate, ante annos XXIV die XXV Julii natus sum, patre Joanne Ehrenfriedo Liebich mercatore linteario, jam vero ante decennium defuncto, matre Eva Rossina e gente Riesenbergeriana. Ibidem ad annum aetatis duodecimum litterarum elementis instructus, tum autem institutionibus in gymnasio ejusdem civitatis usus sum.

Bello A. MDCCCXIII cum Francogallis coorto, interfui. Mense Octobri MDCCCXIV, pace composita, in patriam, primumque Berolinum cum militum legionibus, redii. Hic auctore Perill. Goerke in Academiam medico-chirurgicam militarem Berolini florentem receptus sum, annoque sequente, bello renovato chirurgi inferioris munere

in legione, quae ab Alexandro Imperatore nomen habet, functus sum.

Post breve illud studiorum meorum intervallum sub finem anni illius Berolinum redii et denuo summa cum assiduitate litteris vacavi.

Quo studiorum meorum tempore ut publicas praelectiones omittam, in has disciplinas privatim traditas, quae ad medicinam et chirurgiam pertinent, incubui.

Celeb. Link de Botanice, Illustr. Knape de Osteologia, Splanchnologia, Antropologia ferensi et arte conscribendi formulas medicas. Illustr. Rudolphi et Knape arte cadavera rite dissecandi in theatro anatomico me instituerunt. Periliustr. Hufeland institutionibus praclicis et scholis de Therapia speciali interfui. In Akiurgia et Exercitationis clinicis chirurgicis Illustr. Graefe; praeceptore usus sum. Celeb. de Koenen Physiologiam; Illustr. Musinna Akologiam et cursum operationum chirurgicarum; Celeb. Turte Physicen, Chemiam experimentulem et Pharmaeiauticen mihi tradiderunt. Celeb. Fr Hufeland de Pathologia, Semietice, Therapia generali et speciali, Celeb. Kluge de Doctrina de ossibus fractis et luxatis, de Arte obstetricia, tam theoretica quam practica et Chirurgia generali; Celeb. Osann de Materia medica, Physiologia et Illustr. Horn de Pathologia et Therapia speciali disserentes adivi.

Anno autem MDCCCXVIII a Cel Weiss, h. t. Rectere Magnefico, civibus hujus Universitatis adscriptus sum. Cursum anatomico chirurgicum Illustr. Knape, Illustr. Rudolphi et Cel. Mursinna praesidibus, mense Decembri anni praeterlapsi rite peregi. Per hoc semestre aestivum Illustr. Berends exercitationibus clinicis et Illustr. de Siebold exercitationibus obstetriciis interfui, iamque absoluto tentamine exemineque rigoroso, post dissertationem hancce nec non theses rite defensam nihil obfuturam esse spero, quo minus summos in medicina et chirurgia houores adipiscar.

THESES DEFENDENDÆ.

I.

Morbus verminosus non existit.

II.

Signa certa graviditatis verae usque ad partum non sunt.

III.

Sunt morbi salutares.

IV.

Nulla signa pathognomonica inflammationis internae adsunt.